

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0807

0805

0811

0801

0816

creditur in ecclesia Syon inchoatum fuisse, sed quo tempore,  
non legi, nisi quod anno Domini 192 ante Constantimum  
Magnum et ante Helenam, ante sanctae crucis inventionem,  
erat Narcissus episcopus Jerosolymorum. Qui dum in sabbato  
sancto Paschae ad officium peragendum procederet, nuntiatum  
est ei per ministros, quod non esset oleum nec in lechito nec  
in lampadibus. Audiens autem vir sanctus, fidelis, fide mi-  
nistris imperat haurire aquam sibique deferri. Aquam autem  
sibi allatam post orationem benedixit et infundi lampadibus  
praecepit. Tunc repente miro et saeculis inaudito genere  
virtutis natura aquae in olei pinguedinem versa et coelitus  
accensa, lampades splendorem solito clariorem reddunt. Hoc  
miraculum factum tempore paganorum (B) sub Victore im-  
peratore et Severo imperatore, qui fuit ante Constantimum  
CCXI annis. Post hunc Narcissum fuerunt multi sancti epis-  
copi in Jerusalem, et multitudine plebis Christianorum utique  
non sine ecclesia, quamvis ecclesia sancti sepulchri nondum  
esset fabricata. Et ideo tota solennitas erat in monte Syon  
usque ad aedificationem templi dominici sepulchri. De cuius  
initio nunc subjungam.

#### De initio templi dominici sepulchri.

Locus crucifixionis et sepulturae Domini Jesu extra por-  
tam civitatis Jerusalem facta fuit, sicut patet Johannis Cap.  
XVIII. et ad Ebrae. c. XIII. Qui quidem locus ab exordio  
quasi humani generis celebris habitus est. Dicunt etiam Adam,  
protoparentem nostrum, in eo fuisse sepultum et inde demto  
capite in speluncam duplicem, quae est in Ebron, sepultum  
patriarcham translatum. Ea propter apud pictores inolevit  
consuetudo: ad Crucifixi pedes Adae caput depingunt, et prop-  
ter hanc causam filii Adae locum hunc multo tempore vene-  
rabantur. Et possibile est, eos fanum ibi propter parentis  
honorem constituisse, quod mansit usque ad diluvium sub Noë.  
Post diluvium Sem, filius Noë, qui est Melchisedech, ibi habi-  
tans in loco Calvariae occurrit Abrahae cum pane et vino, et  
benedixit ei. Et postea in eodem loco ad imperium Domini  
Abraham voluit immolare Isaac. Et serpens aeneus fuit ibi

Ende

Anfang

